Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8139
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et tres dies id est tertiam quintam et sabbatum a uino. medone. mellita cer-
uisia. a carne et sagimine. a caseo et ouis. et ab omni pingui pi-
sce se abstineat. Manducet autem minutos pisces si habere potest. Si
habere non potest. tantum unius generis piscem. et legumina uel holera
et poma si uult comedat. et ceruisiam bibat. et in diebus dominicis. et
in natale domini tuos .iiii. dies. et in epiphania domini unum diem. et in
pascha usque ad octauum diem. et in ascensione domini et pentecoste .iiii.
dies. et in missa sancti iohannis baptiste et sancte marie uirginis. et .xii. apostolorum
et s. michahelis. s. Remigii. s. martini. omnium sanctorum. et illius sancti festo
qui in illo episcopatu celebris habetur. in diebus his supradictis faciat cari-
tatem cum ceteris christianis. id est eodem cibo utatur quo illi. Sed tamen
ebrietatem et uentris distensionem semper in omnibus caueat. Iste annus secundus
est ab illo qui in pane et aqua obseruandus est. et post illum ieiunandus.
qui et illis dandus est. qui ecclesiasticos uiros occidunt. et qui usu ha-
bent contra naturam peccare. sicut est sodomiticum scelus. et qui homici-
dium sponte in ecclesiis committit. et ecclesias incendit. et alia huiusmodi.
Penitentia illius talis esse debet. ut duos dies. id est secundam et quartam feriam
in unaquaque ieiunet ad uesperam. et tunc reficiatur de sicco pane et
cocto legumine. sed sicco aut pomis aut holeribus crudis. Ex his tribus
diebus unum utatur et ceruisiam bibat sobrie. et tertium diem. id est
.vi. feriam in pane et aqua obseruet. et tres .xl.mas ieiunet. unam ante
natale domini. secundam ante pascha. tertiam ante missam s. iohannis baptiste.
et si totam .xlam. ante missam s. iohannis implere non potest. post missam
impleat. Et in his tribus .xlmis. ieiunet duos dies ad nonam in
ebdomada. et de sicco cibo edat ut predictum est. et .vi. feria in pane et aqua
ieiunet. et in diebus dominicis et in ceteris supradictis festiuis diebus faciat
caritatem cum ceteris christianis sicut prescriptum est.

De illis qui ieiunare possunt et implere quod in penitentiali scriptum est.

Qui ieiunare potest et implere quod in
penitentiali scriptum est. bonum est et deo gratias referat. Qui autem non potest.
per misericordiam dei consilium damus tale ut nec sibi nec alicui necesse
sit. nec desperare. nec perire.

De redemptione unius anni qui in pane et aqua ieiunare debet.

Pro uno die quem in pane et aqua ieiunare debet .l. psalmos
genibus flexis in ecclesia si fieri potest decantet. Si in autem in loco conuenien-
ti eadem faciat. et unum pauperem pascat. et eo die excepto uino. carne.